



Naf. 4.  
8.

DE VITA ET  
SORTE REVEREN-

DI VIRI, PIETATE, ERUDI-  
tione, & virtute præstantis, D.  
M. ANDREAE FABRICII, in  
æde D. NICOLAI, ISLE-  
BII, quondam Pastoris vi-  
gilantissimi & opti-  
mè meriti:

Habita in Schola Islebiensi

d

*M. Conrado Porta, Pasto-  
re ad DD. Petrum &  
Paulum.*



VITAE BERGAE

Ex Typographia Simonis Gronenbergii.

M. D. LXXXIIII.



VIRO CLARISSIMO,  
PIETATE EXIMIA,  
eruditione rara, fide & virtute  
præcellenti D. MICHAELI  
NEANDRO Soraviensi, cele-  
bris scholæ ILFELDENSIS  
Rectori & Patri optimè  
merito

S. in Christo IESU Θεανθρώπων.

**R**æstantissime vir, Domi-  
ne & amice perpetua ob-  
servantia colende, recitavi  
superioribus mensibus, pro  
more scholæ nostræ, curriculum vitæ  
doctissimi & gravissimi Theologi D.  
M. ANDREAE FABRICII,  
in mediocri piorum fratrum & iuven-  
tutis scholasticæ frequentia, motus  
amore eius erga me singulari, & meri-  
tis in Ecclesiam Dei viventis eximiis.  
Etsi verò ingenuè fateor dignū fuisse  
G † a tantum

tantum virum, alio laudum suarum  
pracone, celebriore & exercitatore:  
tamen cum cessarent eruditiores, &  
intelligerem illud officium a me, veteri  
Collega, requiri, nolui piis manibus,  
& bonorum petitioni, hac in parte des  
esse.

Iudicavi autem historiam istam  
ad P. T. potius, quam ad alios mit  
tendam. Primum quod plurimi ho  
mines docti norunt, vos par amico  
rum nostri temporis, non ignobile fu  
isse, & annumerari merito posse cele  
bratis istis veterum & recentiorum  
scriptis, amicissimorum paribus. Des  
inde quia publice testatus fuisti, in lu  
culenta illa praefatione Theologiae,  
ter maximi LUTHERI, te ex  
mortalibus neminem habuisse vnum,  
cum quo vixisses familiarius & con  
iunctius, & cum quo audentius & li  
berius de quibuscumque rebus contu  
lisses. Tertiò, quandoquidem ipse  
inter *μνημόσυνα*, nerosè & eleganter  
(sicut reliqua omnia) a se scripta, relin  
quit hoc *τετράστιχον*: *Quis*

Quis nescit, docti, cultissima scripta, N E  
A N D R I,

Et, clari, in multos, tot benefacta, vis  
ri?

Per tria lustra, fruor dum consuetudine,  
tandem

Sponsorem nati, me vocat, esse sui.

Denique quod existimaui, me tibi  
rem non ingratoram facturum, si amici  
tanti, τὴν καλὴν σερατεῖαν, specimen meæ  
erga te observantiæ, offerrem atque  
consecrarem, ut ea, quæ propter Her-  
culeos, quos informandis adolescentiæ  
studiis, in schola tua, solus, cum laude  
& admiratione summa, sustines labo-  
res, & tot monumenta ingenii, Cedro  
digna, totumque hominem postulantiæ,  
fortè exciderunt, semper in conspectu  
habere, & memoria rerum gestarum  
compatriis & amici fidelissimi ac pro-  
batissimi, perpetuò te oblectare queas.  
Serena igitur fronte, hoc quicquid est  
muneris chartacei accipe, deque eo,  
quodcumque volueris, statue, & me  
amici illius tui coniunctissimi, obser-

G † 3

uantis

uantissimum, redamare nunquam desine. Islebi ex parochia Petropaulina, in cuius vicinia natus & baptizatus fuit, anno partus salutiferi 1483. MARTINVS LVTHERVS purioris postea Theologiæ instaurator celeberrimus, postremæ ætatis ELIAS, dabantur hæc anno reparatæ per Christum salutis 1582, die 23. Octobris, qui fuit natalis excellentis Mathematici D. M. ERASMI REINHOLDI, hospitis Andreae Fabricii. Vtriusq; memoria est in benedictione,

P. T.

reuerenter colens

Conradus Porta P





VIRO REVERENDO, PIETATE,  
DOCTRINA, RERVM THEO-  
logicarum cognitione ac meritis  
in Ecclesiam præstantissimo. D.  
M. CONRADO PORTAE, Do-  
ctori verbi diuini celebri in incly-  
ta Islebia, suo domino, atq; a-  
mico reuerenter colendo &  
honorando dentur.

**R**euere[n]de vir D. atq; amice ho-  
norande, ago tibi gratias maxi-  
mas non tam meo quàm etiam  
publico nomine, quòd que comperta habe-  
re potuisti de Reuerendo viro D. M. An-  
drea Fabricio, sanctæ memoriæ, vir. usq;  
nostri studiosissimo, verè singula suo ordi-  
ne exposita, ita commemorasti, vt expe-  
diat totam illam historiolum & expositio-  
nem exire in publicam, vt a singulis iu-  
nioribus & adultioribus legi possit, cum  
opera pretium sit & necessarium, publicè

Gt 4

proe

proponi exempla eorum, qui piè & sanctè  
vixerunt, & omni virtutum genere con-  
spicui atq; clari fuerunt, iuxta veteris Pœ-  
tæ præceptum: Ab aliis exemplum cape,  
tibi quod ex usu fiet.

Multa autem sunt in illa historia &  
recitatione vite, morum, & studiorum,  
& omnium Christianarum virtutum,  
magni & admirandi nostri Fabricii, in  
quæ intueri pariter omnes utile est, eos  
autem seorsim, quibus cura docendi Eccles-  
siam est commissa.

Ago adhuc etiam tibi gratias studiosè,  
quod non modò legendam orationem illam  
tuam misisti, sed etiam nomini meo inscri-  
psisti, & cum mentione nominis nostri  
in publicum emittere voluisti, quò consta-  
re possit omni tempore, ut quomodo uterq;  
viuentem Fabricium nostrum dileximus  
& coluimus: ita quoq; defunctum memo-  
ria piæ, amica & fraterna prosequi non des-  
sinamus.

Beatum autem Fabricium tum aliàs  
multis modis, tum etiam quòd in vita a-  
micos aliquot fidos & beneuolos, & post  
obitum

obitum te tantum praconem virtutum  
atque laudum suarum verarum & admis-  
sendarum, & in exemplum quoddam singu-  
ulare & rarum pariter omnibus propos-  
nendarum, illis autem seorsim, qui in Eccle-  
siae munus docendi obtinent, buccinato-  
rem, tibicinem atq; encomiaster tam prae-  
clarum, tamque bene fidum mutuis amori-  
bus, quod Poeta dixit, sortitus fuerit, &  
quo laudaretur secundum virtutes & me-  
rita sua, non in illa schola, illa Ecclesia &  
Republica, ubi, quod de Athenis indignas-  
bundus veterum quispiam sapientum di-  
xit exosus improbos Atheniensium mores,  
πάντα καλὰ: sed ea tantum καλὰ sunt,  
quae & Deo grata & proximo sunt utilia  
& proficua, quae sunt, quomodo Ignatis-  
us Martyr in epistola quadam scripsit:  
πίσις ἢ εἰς θεόν, ἢ ἐγὰρ πρὸς τὸ ὁμόφυλον,  
seu quod apud graecum scriptorem Socra-  
tem laicus quispiam, sed paulò breuius,  
Philosophis concionatur: πίσις ἢ καλὰ  
ἔργα, γυμνὴ γνώμη, simplex doctrina:  
quam cum non teneret urbs Attica, sine  
fide fuit, sine Deo, sine Christo, ac hinc sine  
omni bono, ut non sine causa dictum illi  
Et s. fuea

fuerit: πάντα καλὰ ἀδύνασι, quod est,  
quamuis praesent Athenae doctrina &  
sapientia inter plerasque urbes orbis ter-  
rae: tamen ibi virtutum verarum stud-  
ium nullum est, neque esse potest: unde,  
quod ex Menandro, graeco Comico, latinus  
retulit, non vitium Athenis fuit scortari,  
neque fores effringere.

Deum oro, ut γυμνῆς illam γνῶμην,  
simplex suum verbum, etiam deinceps nos-  
tris seruet: te quoque seruet, & ceteros pios  
verbi Doctores, ne siamus similes Athenae-  
rum, & toti mundo impio conformes, cui  
πάντα καλὰ sunt facti argentum reprobum,  
quod reprobavit dominus.

Ad cetera respondebo cum alia occasio-  
ne: Interea te iubeo saluere, valere et vives-  
se, cum symmystis tuis pietate atque doctri-  
na excellentibus. Ex Ilfelda 4. Idus No-  
uemb. Anno 1582.

T. R.

Studiosiss:

Neander.

ORATIO

DE VITA ET MERITIS REVERENDI VIRI, D. M. ANDREAE FABRICII Chemnicensis, habitata à M. CONRADO PORTA in schola Islebiensi, 7. Iulii, Anno 1582.

**N**on ignoratis, Reuerendi, Clarissimi & doctissimi viri, & vos pijs ac bonis studijs dediti adolescentes, usu iam receptum esse in scholis celebrioribus, vt nouis lectionibus exordii vice præmittantur orationes certæ, continentēs communes actiones vtilēs, vel de ipsis autoribus, quorum scripta enarrantur, vel de parte aliqua aut loco doctrinæ, aut alia historia ad pietatem & bonos mores faciente. Neq; hoc vos fugit, autoritate publica, præter Reuerendos & clarissimos Dominos collegas, mihi quoq; quantumuis indigno, & planè impari tā arduo muneri impositam esse lectionem Theologicam in hac schola, ac requirete ordinem ac superiorum mandata, vt absoluta vtraq; ad Timotheum epistola, ad sequentē transiret. ideoq; superuacaneam esse duco prolixam excusationem, cur toties in vestrum conspectum & confessum hunc honestissimum redeam. Quis enim, nisi Dei aut sui ipsius planè oblitus, defugiatur, quæ officij ratio exigit? & quis sana mente aut sensu communi saltem præditus reprehendat, quæ superioribus & vocatione vrgentibus suscipia

Oratio.

susciuntur? Nec de mea in hoc exercitiorum genere, ariditate & tenuitate multa verba faciam, cum ea plerisque vestrum nota sit, notior assiduis meis auditoribus, mihi ipsi vero notissima. Si tamen aliqui adsunt, ad simplicitatem meam non assuefacti, eos reuerenter & fraternè rogatos volo, ut boni illam consulant, & aliorum, benignè me audientium, exemplum imitentur: Operam enim, Deo conatus meos iuuante, dabo, ut bonitate rerum, & narratione historiarum continens multa præclara veræ pietatis, eruditæ doctrinæ, & pulcherrimarum virtutum exempla, quicquid splendori & elegantiarum defecerit, resarciam. Delegi autem præ aliis materiis hoc tempore curriculum vitæ optimi & præstantissimi, felicitis memoriæ, viri D. Andreae Fabricii, Pastoris quondam, ut scitis, in æde D. Nicolai in hoc oppido vigilantissimi, idque primò: ut obtemperem mandato diuino, extanti in epistola ad Ebræos cap. 13. Memores estote eorum, qui præsumunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitemini fidem, considerantes qui fuerint exitus illorum. Deinde, ut sequar exemplum viri sancti Syracidæ cap. 44. inter cætera scribentis: Laudemus claros homines patres nostros, qui omnitempore cum laude vixerunt, & in vita sua fuere celebres, & nomen præclarum transmiserunt ad posteros. Altera causa est, quod, meo iudicio, historia vitæ Theologi istius non postremi, non malè conueniat, huic ministrorum verbi, venerabili coronæ & cætui, pietatisque & bonarum artium dicatis adolescentibus, immò lectioni ipsi, quam in posterum Deo iuuante, aggrediemur. Sicut enim in epistola ista ad Tirum, discipulum & Symmytam *γνήσιον τέκνον*, germanum filium

nomi

Oratio.

nominare non dubitavit Apostolus: ita hic nos-  
ter Fabricius omni iure *γνήσιος μαθητής*  
Pauli secundi, viri Dei Lutheri vocari potest. Ta-  
ceo nunc, quod non paucae mutationes in vita  
eiusdem in mensem praesentem Iunium incide-  
runt. Tertia ratio ad me potissimum spectat.  
Gratitudo enim compatri, & Collegae longe caris-  
simo, & fratri atque amico coniunctissimo debita,  
pium hoc officium a me requirit. Ingenuè fateor  
quod res est, plurima exiant in me immeritum  
beneficta Dei praecleara, grato pectore & voce praed-  
dicanda, quod me non in Turcia, Moscouia, aut  
tenebris Papatus, sed in ipsa Ecclesia nasci voluit,  
atque ad agnitionem filii sui, Domini nostri Iesu  
Christi, perduxit, quod me pupillum miserum,  
a patre, matre & cognatis ferè omnibus dereli-  
ctum, iam inde ab anno aetatis decimo mirabili-  
ter rexit, ac praeter alios in hac ipsa schola & Ec-  
clesia, atque Academia celeberrima inclytæ urbis  
Rosarum, praepceptores clarissimos & doctissimos  
promotores & amicos beneuolos mihi concessit.  
Sed neque hoc ultimo felicitatis meae in hac vita  
posui hastenus & adhuc pono loco, quod Collega  
mihi contigit sexennium integrum iste, de quo  
nunc agam, FABRICIUS, quodque is me ad Mini-  
sterium recens vocatum lubens recepit, fraternè  
fouit, promptè instruxit, & ad amorem scripto-  
rum, & Theologiam ter maximi Lutheri, crebris  
& salutariibus admonitionibus instigauit. Neque  
verò expectabitis a me laudes, & amplificationes  
Rhetorum immodicas, a quibus toto pectore vi-  
uus abhorrebat Fabricius, nec facile veras (quae  
erat ipsius humilitas & modestia singularis) ad-  
mittere solebat: si enim hoc modo extendere  
veia

Oratio.

vela vellem, non oratiunculam, sed volumen  
posceret huius viri vita, & Fabricianæ familiæ  
celebritas. Sed nudum filum historicum sequar,  
ac propter adolescentes me atq; alios in hac pale-  
stra tyrones, commonestiones paucas, easq; salu-  
tares suis locis aspergam, ac simul maleuolis ac  
traductoribus respondebo: nec omittam quæ ab  
ipso Fabricio accepi, & ipse solita diligentia de  
suo curriculo annotauit, & politissimis carminibus  
complexus fuit, vt sit tantò maior fides dictis  
meis, & iucunda varietas delectet auditores. In  
his omnibus aderit mihi Spiritus Dei vocatus, &  
onus subleuabit non parùm vestra erga me vetus  
beneuolentia & fauor.

Vt autem à temporis circumstantia ordiar,  
natus fuit **A N D R E A S F A B R I C I V S** an-  
no reparatæ per Christum salutis 1530. quem  
verè miraculosum dicere possumus, propterea  
quòd inter summa pericula & cruentas minas  
pontificiæ cohortis Confessio Ecclesiarum, minist-  
erio Lutheri reformatarum & repurgatarum, eo  
ipso Sereniss: & inuictiss: Romanorum Imper-  
ratori Carolo Quinto oblata, & mox in linguas  
ac idiomata diuersissimorum locorum & gentium  
mirabili Dei gubernatione transfusa fuit, vt et-  
iam exteris nationibus, fremens inferorum  
portis, de religionis & doctrinæ Lutheranæ, tot  
diabolicis calumniis & mendaciis deformatæ,  
breui summa & fundamento vero atq; immoto  
constaret. Eo, inquam, anno editus fuit in lucem  
die 25. Ianuarii, conuersione D. Pauli Apostoli in-  
signito, qui & ipse ominosus fuisse videtur, futu-  
rum nimirum aliquando, puerum istum Paulinæ  
doctrinæ studiosissimū & defensorem strenuum.  
Ornatus fuit & illo die, anno ætatis 17. Magisterii  
gradu, optimè postea de tota Europa meritis D.  
Philippus



*Oratio.*

Philippus Melanchthon, ne deesset suo tempore  
idoneus preceptor & promotor Fabricio. Quid  
quod Ienensis Academia puritati doctrinae, ab illu-  
strissimo & constantissimo Christi martyre  
D. D. IOHANNE FRIDERICO Electore capiuo  
dicata, solenni ritu per privilegiorum recitationem  
publicam, eo die confirmata fuit, ut esset locus, ubi  
sacris aliquando iniuraretur dictus puer,

Nascentem excepit patria Chemnicium, ce-  
lebre & vetus Misniae oppidum, in radicibus  
montium Sudetorum, ab Imperatore Lothario  
conditum, haecenus optimorum ingeniorum atque  
virorum doctissimorum, & quidem, quod cum  
aliis paucis commune habet, in iisdem familiis, &  
ex iisdem parentibus natorum, feracissimum. Ut  
enim de superioribus nihil dicam, annis proximis  
produxit viros pietatis, doctrinae & virtutis laude  
clarissimos. Ioan: & Casp: Naeuios, artis medicae  
Doctores, tam praestantes & peritos, ut Illustri: &  
potentiss. Saxoniae Elector Augustus, illi augusti  
corporis curam committeret, hunc in Academia  
Lipica Professorum liberalissimo stipendio aleret.  
Tertius frater consularium in patria gessit ad annos  
plurimos. Quartus bellator & miles strenuus in  
iuventute (ut audio) diuersorum regum & principum  
contra & lituos secutus fuit: ideo frater Iohannes,  
praeter quatuor stipendia literaria, & largissimas  
in tota familia donationes, annuos redditus ex  
testamento ordinavit, ut in senecta tanquam rube  
donatus atque emeritus tranquilla pace frui, & domum  
delitescere posset. Nec minor est Arnoldinae fami-  
liae celebritas: Georg: etenim Arnoldus I. V. Doct:  
celeberrimus, & propter Pericleam penes eloquentiam,  
& in rebus atque negotiis difficilimis dexteritatem  
summis principibus acceptissimus, ad Cancellarium  
tus dignitatem euectus fuit in Episcopatu Zizensi.

Fratres

Oratio.

Frater similiter Consulis officium, multa cum laude in patria sua sustinuit. Testis  $\alpha\upsilon\tau\omicron\pi\iota\eta\varsigma$   $\nu\omicron\upsilon\tau\omicron$   $\alpha\epsilon\iota\omicron\pi\iota\varsigma$  est, Reuerendus & carissimus Collega atq; amicus noster D. GEORGIVS AVTMNVS, Decanus & Pastor Mansfeldensis, qui Ecclesiae Chemnicensis decennium integrum minister, & plerisque à me nominatis familiarissime notus fuit. His non dissimilis, imò in quibusdam superior est Fabriciorum familia. Ex patre enim Georgio Fabricio, viro bono & integro, aurifabro, & matrona pia & honesta Margareta, nati fuerunt sex filii & tres filiae, ex quibus quatuor euaserunt in viros insigniter erudites, & pietate & virtute eximia praestantes. GEORGIUM nomen non Germaniae solum, & illustri scholae Misenaë, sed exteris etiam regnis & nationibus, atq; ipsi Italiae & Romae propter praecleara poemata, & alia ingenii monumenta nunquam moritura, & erga Rempublicam literariam merita innotuit, & manebit celebre ad omnem, si qua futura est, posteritatem. BLASIVS ingenti cum laude & fructu, aliquando docuit in celeberrimo tum Argentinensi Gymnasio, & cum nostri temporis Cicerone Iohanne Sturmio, sicut & frater Georgius, coniunctissime vixit. Postea iuuentutis studia sub illustri & Generoso Hassenensi Comite Busvileræ rexit. IACOBVS doctrinae laude non inferior priori, in Germania, Gallia & Anglia nobiles iuvenes Ebelebios, & plures alios magno cum fructu instituit, & tandem in Salinis Saxonice vsq; ad mortem studiis iuuentutis plurimum profuit. Minimus, praeter Michaelæm in ipsa infantia extinctum, ANDREAS, de quo nunc potissimum dicere institimus, cum

*Oratio.*

cum reliquis eruditione & meritis certare poterat, sicut iam iam audiemus. Propriū & quasi nativū fratribus his singulis & uniuersis fuit, styli insoluta & ligata oratione mira elegantia, in breuitate copiam summam continens ac suppeditans, sicut poemata, libri, lectiones, & litera ipsorum testantur. O te fortunatum tantis alumnis Chemnicium, Laudet Ephesus suum Apellem & Parrhasium pictores artificiosissimos: Hermodorum, Romanos legatos in describendis Graecorum legibus adiuuantem: Hipponacem Poetam festiuum, sed nihil tibi tuisque praecripat. O coniugium terque quaterque beatum: O vitem vere abundantem, quae tales botros protrudit. Si enim sub Patru infelici beata fuit iudicata, mater, quae duos Monachos impuros, aut Moniales superstitiosas toridem peperit, cur non beatissimas (de mundanis loquor, & de sanguine ac merito filii Dei, in quo solo vnica nostra consistit beatitudo, nihil decerpo, & absit a me tantum scelus) praedicabimus Chemnicenses matres, & quidem Margaritam Fabriciam, quatuor tantorum filiorum matrem, feminam lectissimam?

Porro vt ad Andream potissimum nostra se conuertat oratio, is orbatus (Deo sic volente) patre Georgio, anno aetatis, quarto, a matre non secus atque Irimotheus ab auia sua Loide, & matre Eunice, atque a Monica sanctis: matrona Augustinus, lumen Ecclesiae Africanae, a teneris vnguisculis ad pietatis exercitia ac sacras litteras assuefactus, atque in scholam patriam mature missus fuit.

Cumque contigisset ei ingenium docile, & doctrinarum omnium capax, aequales suos longo post se interuallo reliquit, & subinde non pernitendos

Gg†

tendos

### Oreatio.

rendos in literis progressus fecit, Sicut autem ad summa preparare Andreã nostrã voluit Deus clementissimus: ita contigerunt ipsi informatores iuventutis solertissimi: Jacobus Hertelius patriæ scholæ gubernator, & cum propter eius obitum insperatum ea defecisset, Fribergæ Valentinus Appelles: & in sacris Theologus multa cruce & doctrina exercitissimus D. Hieronymus VVellerus. Hospes contigit ibidem M. Valentinus Grauius, ordinis senatorii vir doctrina & prudentia conspicuus, literatorum in ista vrbe communis patronus, Ioachimi Camerarii, Georgii fratris, Adamii Siberi politissimi, & nostri Andreæ grati domesticis ei carminibus celebratus.

Quanto igitur stolidiores sunt multi ex nostris adolescentibus & scholasticis, qui licet possint adipisci apud viros autoritate aliqua & eruditione claros hospitia, nolunt ad eos migrare, sed malunt in angulis obscuris latitare, tantum ut suo vento nauigare, liberè genio indulgere, ac tuto cum congerronibus ac combibonibus suis obambulare, & hinc inde vagari possint. Venerat autem Fribergam Fabricius, anno à nato Christo supra millesimũ quingentesimum quadragesimo quinto, sed tantum annum vnicum ibi mansit, non quòd more nostrorum errantium & vagabundorum scholasticorum, multas scholas percurrere constituisset, sed quòd iactis mediocriter pietatis, & primarum artium ac linguarum initiis, in illustrem ludum Misenæ apertum, cui frater Georgius præerat, recipiendus foret, quod fiebat die 12. huius mensis, ante annos 16. in quo quinquennium integrum sub fratre & aliis præceptoribus doctissimis, M. Matthia Marco Dabercusio & Hiobo Magdeburgo, & aliis, studia feliciter

*Oratio.*

ter continuauit, & commilitones habuit præter  
ciuium multorum ex nobilitate præcipua filios,  
qui moti præstantia & acumine ingenij in Andrea,  
ac memores amicitiae studiorum consuetudi-  
ne inita, postea eius memoriam cum beneuolen-  
tia conseruarunt, & magni cum fecerunt. Libet  
in præsentia ex multis vnus tantum mentionem  
facere, DAMIANI PFLVGII, nobilitate  
stemmatis, fortitudine bellica, sapientia & autori-  
tate præstantis, illustris: Sax: Electoris Augusti,  
paucis ab hinc annis supremi in hoc comitatu  
Mansfeldico inspectoris. Is adeo non deposuit  
Andree Fabricii in ludo, de quo diximus, illustri  
commilitonis memoriam, vt viduæ & pupillis  
præ multis alijs liberalissimè benefecerit, de suo  
non exiguos sumptus, ad studia filij Theodosij  
suppeditando, & impetrando eidem ac matri vi-  
duæ & pupillis reliquis centum triginta florenos  
ab illustris: Principe Electore, quò commodius  
se sustentare possent. Dum verò in isto ludo  
studiorum gratia commoratur, obiit mater piens-  
tissima Chemnicij, cuius beatos cineres decenti  
ornauit Epicedio Andreas filius, & se quasi hære-  
dem pietatis, & reliquarum virtutum instituit, in  
hunc modum canens & vota faciens:

*In Dominæ placidè moritur sanctissima ma-  
ter:*

*Viuit, quæ mundo est mortua, Christe  
tibi.*

*Ovtinam tanta flagrem pietate fideq;  
sedulus in verbosim precibusq; piis.*

Gg 7a

Anno

Oratio.

Anno verò partus virginèi 1551. cùm confirmatus esset ætate, & in studiis artium inferiorum, linguæ Græcæ & Latinæ tantos fecisset progressus, vt ad maiora, Deo propitio, transire facile posset, de consilio fratris Georgij, anno ætatis vigesimo primo, in florentissimam & optimè constitutam Germaniæ Vitebergensem Academiam, mense Aprili, missus fuit. Ac cùm sumptus proprij decissent, receptus fuit propter fratris auctoritatem, & bonorum intercessionem, à Mathematicum Professore tum primario M. Erasmo Reinholdo, committente ipsi erudiendum filium eiusdem nominis, & Casparum Ratzenbergium, artis medicæ hodiè Doctores, & vt mutuz traderentur operæ, pædagogum fideliter instituyente in disciplinis Mathematicis. In eo autem infeliciofuit Fabricius, quòd non diu subsistere ipsi licuit Vitebergæ, Academia propter pestem crudeliter sæuientem Torgam translata, & hospite cum vxore & liberis Salsfeldiam ad parentes, vitandi contagij istius causa commigrante, vbi & sequenti anno supremum diem clausit. Coniecit autem ista sabita omnium rerū conuersio & studiorum interurbatio in tantum eum mœrorem, vt melancholia & tentationibus oppressus fuisset, nisi precibus ardentibus & indefinentibus leuationem impetrasset. Ne quid fingere videar subijcio eius verba:

*Exagitat trepidam tristis tentatio mentem,  
Desperabundis non nisi rebus agor.  
Discurro, precibusq; Deum lacrymisq; fatig;  
Post biduum verbo spesq; fidesq; redit.*

Neve

*Oratio.*

Ne verò diu ociosus esset, aut inacturam temporis rei nobilissimæ Fabricius frustra faceret, & ne nouis malis occasio daretur, opera communis D. Præceptoris Philippi Melanchthonis, die 24. mensis huius, anno 1552. in urbem imperialem Northusam missus fuit ad virum ampliss. Michaellem Meienbergium, primò Reip. istius Syndicum, & postea Consulem dignissimum, in aliquot Imperii comitiis propter eloquentiam insignem cum pari prudentia coniunctam, præcipuis ordinibus carissimum, & ex plurimorum etiam Doctorum monumentis ipsi dedicatis notissimū, is cum filiis discipulis pædagogum filium remittit Vitebergam, anno sequenti, mense Martio, & aditum ipsi patefacit ad familiaritatem interiorum D. Philippi Melanchthonis, à quo receptus fuit cum filio Meienbergii in domesticam consuetudinem & victus societatem, sicut ipse prædicat hoc beneficium sequenti disticho:

*Doctrina, mensa, magniq; fauore Philippi,  
Leuceorea haud paruo tempore in vrbe  
fruor.*

Indigebant circa illud tempus Northusani viro docto & vsu perito, qui scholam apud ipsos regeret: ideoq; cum Fabricius noster Consuli primario Meienbergio fidem & diligentiam suam probasset antea in institutione liberorum, ac nota esset D. Philippo & præceptoribus alijs eius eruditio insignis, dexteritas in docendo, vitæ morumq; grauitas, hortatores fuerunt ipsis, vt hunc reuocarent ex Academia, quod factum fuit anno 1554. mense Aprili, approbante & confirmante

Gg† 3 vocas

### Oratio.

Vocationem istam Domino hospite veteri. Ne autem ipsi deesset testimonium publicum doctrinae & morum, anno eodem, mensis Iulii die 31. solenni ritu renunciatus fuit artium & Philosophiae Magister, in inclyta Academia Virebergensi, in qua renunciatione publica primus ipsi locus contigit inter 54. Candidatos: unde coniectura fieri facile potest, quantum ipsi tribuerint praeceptores. Prae haec notate hoc, & in animo reponite tale exemplum vos scholastici: Computatis diebus & mensibus, non ultra biennium in Academia viuere licuit huic Fabricio, unde igitur tantus illi in omnibus, quae ambitu suo complectitur philosophia sana, ac tam laudabilis profectus & eruditio, ut praeter tot competitoribus ingeniosissimis primus ipsi locus de sententia spectabilis D. Decani Caspari Peuceri, ad miraculum usque, ipsis Italis testibus, docti, & totius Collegii philosophici assignatus fuit? In promptu causa est & responsio facilis: Obtemperauit salutaribus monitis fratris Georgii, & reliquorum praeceptorum, & verae pietatis atque artium inferiorum Grammatices, Dialectices, Rhetoricae, Musicae, Arithmeticae, linguae Graecae & Latinae fundamenta, in scholis trivialis (ut vocant) fideliter iecit, & confirmatus aetate ac iudicio in Academiam venit, in qua nocturna ac diurna manu versauit libros, & altioribus studiis Ethicis, Physicis, & ad illa pertinentibus Mathematicis & Geographicis disciplinis, indefinenter inuigilauit, sicut memini me ex eo audire, quod in propositionibus Euclideanis, demonstrationibus Theoriarum Solis & Lunae, & reliquorum Planetarum cum extremo valetudinis periculo, die noctuque sudatit apud hospitem Reinholdum, & Norrhusae horas post pedagogicas lectiones vacuas, tantum repetitioni



*Oratio.*

tioni & meditationi eorum, quæ Vitebergæ audierat, tribuerit. Si idem facerent hodie adolefcentes, plures sine dubio ad eruditionem peruenirent solidam, sed quia plerique in scholis inferioribus, ignavia, obambulationibus, helluationibus, chartis lusoriis & similibus pestibus inuenturis maturè sese dedunt, plurimi sedecim aut septendecim, pauci octodecim annos nati in Academiis sine consilio præceptorum, aut aliorum doctorum, sine fundamentis, & sine plumis (quod aiunt) euolant, & tempus irreparabile diurnis, compotationibus, & nocturnis discursationibus, debacchationibus & clamoribus beluinis terunt, aut si qui diligentes videri volunt, omiſſis necessariis non necessariis agunt, & ante tempus & iudicium confirmatum periculosis, & ipsis autoribus inextricabilibus, disputationibus sese temerè immiscent. Quid mirum si cælum non animum (vt ille inquit) mutant, et si occiditur illud:

*Paruos stolidum si quis transmittat aſellum,*

*Qui fuit hic aſinus, non erit illic equus.*

Et ab hospitibus auaris, & præceptoribus (quales aliqui sunt) infidelibus additur: Nos accipimus pecuniam, & remittimus nunc aſinos in patriam. Sed hæc obiter propter adolefcentes, quibus præcipue prodesse debent nostra exercitia, nunc redeo ad Fabricium. Habent is in promotione ista famosa competitores, viros doctissimos de Ecclesiis, scholis, & politis

*Oratio.*

hactenus præclare meritos, & adhuc merentes, atque inter illos Reuerendum & clarissimum Theologum NICOLAVM SELNECCERVUM, in vicina Ecclesia & Academia Lipsica Superintendentem & Professore dignissimum, scriptis super æthera notum, quem Georgius Fabricius, vindicem testamenti filij Dei, quod clancularias astutis: Sacramentariorum molitiones, in hisce regionibus, mature deprehendisset, sæpe summis viribus hsdem opposuisset, appellare solitus fuit. MICHAELVM NEANDRVM, quem idem Georgius Herculi alicubi comparat, propter indefessum & acre studium bene merendi de literis & iuuentute, & propagandi bonas artes, & linguas Ebræam, Græcam, Latinam, & excutiendi autores & scriptores plurimos & abstrusissimos. M. ALBERTVM LEMEIGERYM Hamburgensem, postea Professore Academiæ istius, ad annos, ni fallor 27. diligentissimum, Reipub. patriæ, hoc tempore, Secretarium ornatissimum. HENRICVM RHODIVM, piæ memoriæ, annos aliquot in patria Sangerhusa, scholæ & Ecclesiæ gnauiter seruientem, & apud nos cum admiratione & fructu singulari superioribus annis docentem, quod eximiis donis & rara eloquentia ornatus esset. Nec postremus in illorum numero fuit CLEMENS KELNERVS, artis medicæ Doctor peritissimus, & Reipub: huius Physicus felicissimus, quem honoris gratia nomino. ἰατρὸς ὃς ἔστι ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων. Vir medicus multis aliis præstantior vnus.

Viteberga ad operas scholasticas, nouo honore ornatus, rediens, Magistrum suum ita collocat

*Oratio.*

locavit, ut nullis laboribus & molestiis parceret, modo prodesse discipulis, quod discipuli & auditores grata mente & voce eius diligentiam & solertiam, adhuc hodie prædicantes restabuntur. Cùmq; triennium in studio isto, quantumvis laborioso & difficili, cucurrisset, simul evoluerere cœpit sancta monumenta Lutheri, quem multò rectius quàm Papistæ suum Thomam appellauerimus Doctorem Angelicum, Ithenæ iuxta annorum seriem, & sine additamentis aliorum scriptorum tunc recens edita, quorum gustum perceperat iam antea (ut ipse mihi retulit) Northusam primò veniens, & in ædibus Consulis Meienbergii incidens in lectionem, nunquam satis laudari in Genesin Commentarij, qui sicut fuit Cygnæa cantio Lutheri; ita meo iudicio summatim comprehendit omnia ferè doctrinalia, quæ scorsim in reliquis eius scriptis continentur, ideòque dignus qui præter Biblia sancta perpetuò in manibus studiosorum Theologiæ, & ministrorum verbi versetur. Si autem Fabricius inter scholasticos pulveres & molestias, Lutheri scripta legit, quæ est quorundam in verbi ministerio vel ignavia vel præpostera sapientia, ubi vel maxime opus erat hac lectione, ab ea abstinentium? Ac si laudatissimus Sax: Dux IOHANNES VVILHELMVS felicis memoriæ, decies sacra Biblia perlegit, & monumenta Lutheri suum thesaurum appellavit, & (referente Theologo Clarissimo D. Tilemanno Heshusio) non veritus fuit dicere, se non habere eum pro Theologo, qui opera Lutheri non perlegisset, quomodo quæso tuebuntur nomen Theologi, qui ne unum Tomum ordine perlegerunt, aut ne quidem attigerunt, vel etiam non viderunt omnes eius libros

Gg 75

Canon

[Oratio.

Canone dignissimos? Quantum verò profuerit  
ista lectio Fabricio, in sequentibus dicetur.

Ne autem deesset vitæ & ærumnarum socia, post  
seriâ inuocationē consilia conferens cū populari &  
amico veteri, Reuerēdo viro D. M. Sebastiano Star  
ckio, Ecclesię Greussensis in Thuringia tūc pastore  
(hodie Superintendente Ecclesię Mulhusianę in  
Thuringia vigilātissimo) nuptias ambit virginis  
pię ac pudicę optimi ac grauissimi senis D. M.  
Andree Ernesti, patricij Northusani, & Ecclesię  
Quedlinburgensis in Neapoli tū Pastoris, quę ego  
puer ibidē docentē audiui, & admiratus fui, pro  
pter venerandā canicię, zelum in doctrina, & in  
nocentiā vitę singularē. Desponsata verò ipsa fuit  
Fabricio mense Februario, & cōnubio stabili iun  
cta die 17. mensis Iulii, anno salutis nostrę 1557.

Antequam verò domū duxisset Vrsulā illā Ernes  
tā, mense Maio, iussu inclyti Electoris Sax: Augus  
ti, in illustrem Cels: suę scholā Grimmā vocatus  
fuit, vt esset collega indefessi scholarū rectoris, atq;  
in hoc militiæ genere verē veterani D. Adami Si  
beri, Poëtę & viri præstantissimi. Sed quia Nort  
husa primas ipsi functiones obtulisset, & instarent  
iam nuptiæ, atq; ex affinitate sperarentur iam me  
liora, modestē recusauit functionē istā, & in priore  
sua statione permansit decenniū integrū. Quantos  
autē isto tempore labores, curas & difficultates sus  
tinuerit, nemo nisi quodammodo expertus faci  
le crederet, ipse verò hoc tetraſticho neruoso ista  
omnia complecti voluit:

*Ad Troiam Danai desudauere quot annos,*

*Vrbē Theodosia tot gero scepra scholę.*

*Functio permagno mihi constitit ista labore,*

*Omne quod imponis tu quoq; Christe leuas.*

*Et quamuis scholastici labores totum hominē*

*neru*

*Oratio.*

nem, immò plusquàm hominem requirant, si ad  
sit diligentia & studium seriū promouendi com  
moda discipulorum: tamen posteriori quadriennio  
simul sustinuit munus docēdi in Ecclesia dieb. Do  
minicis, additus Collega D. M. Antonio Ortoni in  
tēplo D. Nicolai. Ordinatus autē fuit ad sacrosanctū  
ministeriū à D. Theologis tenensib. puritatis do  
ctrinæ & zeli pro domo Domini laude tunc præ  
multris aliquot claris, anno 1560. Quoniā autē non  
dū elapso biennio, pleriq; imo ad vnum oēs, qui  
manus in ordinatione imposuerāt, propter impro  
batū sarcasmū Diaboli de synergia voluntatis hu  
manæ, per Spiritum S. nondū renatæ, in exilium  
reiecti forent, aliquid ominus subesse, & sibi quoq;  
aliquando portēdi exiliū censebat Fabricius. Nec  
sefellit est in hac parte animus præfagiens. Cū, n.  
anno 1564. ex pistrino scholastico in ædē Petrinā  
vocatus ad pastoratū sese iusto zelo opposuisset vi  
genti tū in Ecclesia Northusana doctrinæ & cōtro  
uersiæ, in meritū & preciosū sanguinē Christi me  
diatoris nostri contumeliosæ & blasphemæ, de op  
perū necessitate ad salutē, incurrit in summū odiū  
& inuidiā eorū, qui antea ipsū promouerant & cō  
iunctissimi fuerant. Laborarunt, n. isti postea sum  
mis virib, vt ei nocerent, & sede sua pellerent. Cū  
autē S. sancto, & doctrinæ Fabricij, bonis & infalli  
bilibus fundamentis nitenti, & ex scriptura ipsa  
& Luthero haustæ, resistere non potuissent, ad calu  
mnia & mendacia sese conuerterunt, dictitantes  
eum Ecclesias & Academias benè constitutas, præ  
ceptores & alios Theologos summos, atq; optimè  
meritos taxare iniquè, & pro concione traducere,  
immò non parcere magistratibus Christianissi  
mis, Ecclesiæ & scholarum in toto vicinia nutri  
cū: atq; vt haberent aliquid quod mendaciis istis  
prætexerent, usi fuerunt opera fucati cuiusdam  
amicū

Oratio.

amici & quondam Collegæ, qui captauit sermones priuatos, & mirabili occasione non rarò iste alios quos elicit, atq; Epigrammata & versus quosdam, quibus miserrimum Ecclesiæ statum, & factum atq; astutiam quorundam nefariæ doctrinæ Lutheranæ, immò Christi ipsius, corruptentium priuatim deplorauerat, & notauerat, ex Bibliotheca, immò ex Bibliis ipsis (sicut erat verè κοινωτικὸς & humanus erga Collegas, quos credebat esse fidos) nequiter suffuratus fuerat, & cur non exprimerem aliquot, cum euentus his annis satis superq; docuerit, querelas eius nimis veras fuisse? Sic autem cecinit:

*Cura, Catechismus, tua sit, nam Corpora sal-  
lunt*

*Doctrina, sapiens qua sibi fingit Adam.  
Ipse licet redeat Christo comitante Lutherus,  
Hæc nisi scripta probent, ibit vterque  
(foras.*

His postea in aulas & Academiæ (sicut ipse non semel mihi questus fuit) missis, tale ipsi odium & malevolentiam conciliauerunt, vt tandem post plurimas vtrò citroq; traductiones & accusationes, in exilium ire cogeretur, magno cum priorum auditorum, quibus de innocentia fidi & benemeriti Doctoris constabat, gemitu & indignatione, quæ omnia memoriæ gratia coniecit in hos versus:

*Ordinor ad munus sacrū, cum Ithena vigeret:  
Multati exiliis imposuere manus.*

*Ipse*

*Oratio.*

*Ipse etiam exilio multatus, gloria Christe  
Sit tibi, qui donas credere, quiq; pati.  
Dum doceo Christum crucifixum, dum crucis  
hostes  
Designo, tua crux Christe ferenda fuit.*

Vt autem fidelis Deus est faciens cum tenta-  
tione euentum, non diu ipsum exilij miseris pre-  
mi fuit, sed rursus monstrauit per media legitima  
aliu locum, priore multo meliorem. Cum  
enim is mense Augusto in exilium ire iussus fu-  
isset, & paulo ante, mense Maio, placide in Christo  
obdormiisset Reuerendus & clarissimus vir  
D.M. Iohannes Rhodius commilitonis quondam,  
ac amici veteris & carissimi hodie Collegæ no-  
stri D. M. Friderici, pater, meus in hac schola  
præceptor, grata memoria celebrandus, tunc  
Ecclesiæ, quæ est ad D. Nicolaum in hoc oppido  
pastor, nominatus fuit à quodam viro bono &  
pio, exul Fabricius, qui ista occasione iubente  
Magistratu, & à Reuerendo Domino Superinten-  
dente accersitus concionem habuit, ac non multo  
post in locum pie defuncti vocatus, cum vxore  
& tota familia huc venit, Anno 1568. die 5. Sep-  
tembris, natali Dn. Hieronymi VVelleri, Theolo-  
gi præstantis, & ipsius Fabricij aliquando præcep-  
toris, sicut supra meminimus.

Quanta verò fide, assiduitate & zelo in isto  
munere apud nos versatus fuerit, norunt sine mea  
commemoratione, quicumque illum docentem  
audierunt in templo & in schola. Erant eius  
conciones & lectiones nihil ferè nisi scripturæ  
sanctæ, & felicissimi eiusdem interpretis D. Lu-  
theri

Oratio.

theri & ξίωματα atq; sententiæ selectissimæ  
Hinc qua potissimum vsus fuerit Bibliotheca  
ipse testatur versibus memorabilibus:

*Biblia sacra colo recolo monumenta Lutheri,  
Postremo sunt hæc, illa priore loco.  
Utraq; sunt nobis vt turba domestica cura,  
Vt reliquos ciues scripta prophana proba.*

Inuentio ipsa optimarum rerum, ex ipso textu  
sacro erutarum, & tractatio admiranda & inimita-  
bilis fuit, quam neruosa & succincta breuitas  
Fabriciorum propria, commendatiorem reddidit.  
Urgebat vt quàm maximè articulū iustificationis  
de receptione in gratiam hominis peccatoris, ex  
mera & ineffabili misericordia, sine vllis nostris  
meritis, aut vlla dignitate, Discrimen legis & Eu-  
angelij, conciones penitentia, & pleraq; suas les-  
tiones & conciones, cum D. Paulo, Augustino &  
Luthero referebat ad tria summa illa Christia-  
nismi capita, fidem, dilectionem, & spem siue pa-  
tientiam. Hinc paucorum annorum spacio pro  
concione summa dexteritate explicuit histori-  
am primi libri Samueles, originalis mundi, pri-  
morum parentum, sanctorum patrum & patriar-  
charum res gestas in Genesi, Epistolam ad Roma-  
nos, vtranq; ad Thessalonicenses: in schola simili-  
ter enarrauit primum librum Moysis, libellum  
Ruth, & bonam partem Exodi. Quanta verò  
illud fide & fidelitate præstiterit, præter nos, qui  
ex auditoribus ipsius adhuc sumus superstites,  
vel hæc ipsa cathedra, vestra subsellia, fenestræ  
ac lapides testari possent.

Nec



### Oratio.

Nec viua saltem voce docuit, sed eruditis aliquot scriptis Ecclesiam Dei ædificauit. Primum in Northufana Ecclesia fuit explicatio primi præcepti ex scriptura sancta & Luthero, ubi fictam sanctitatem cum doctrina bullata, & summæ sapientiæ persuasione in diabolo & organis eius graphicè admodum delineauit, & quia imaginem quandam iustius hypocrisis typis expressam titulo subiecisset, hostesq; ipsius in pessimam illam partem detorsissent, & magnos principes, viros doctos, & literas humaniores ea notari aulicis quibusdam & aliis magnatibus persuasissent, ita se purgauit Apologia publicè edita, & singularum partium significationes tam apertè monstrauit, ut facilè vanitas & calumniandi libello in aduersariis deprehenderetur. Nec tamen profus apud quosdam effugit indignationem & pericula. Semper enim, ut ille inquit, aliquid hæret ex calumnijs.

Cùm nobiscum fuisset aliquandiu, pertexuit inchoatam à se Northusæ, domesticam (quam vocabat) Ecclesiam, librum omnium piorum & rectè iudicantium calculo utilissimum & summè necessarium, ad propaganda intra priuatos parietes dicta scripturæ sanctæ primaria, & doctrinæ Catechetiæ dignitatem, gemmulas ac flosculos fragrantissimos, & succum atq; medullam scriptorum Lutheri, & *σύνολον* Antichristi Romæ; egregiam continentem, quam eius libri summam mihi aliquando dictauit hoc modo:

Que

Oratio.

*Qua scriptura fide, quo Catechismus honorè,  
Quòue Luthere loco sint tua scripta do-  
cent.*

*Editus in lucem qui prodiit iste libellus  
Hæc tria si lector nouerit inde sat est.*

Faulò post edidit & libellum efficacissimè  
consolationibus, in extremo mortis agone vsur-  
pandis plenum, quem propterea extremam ho-  
rulam inscripsit. Præter δ'ιδ'ακτικὰ hæc scripta  
etiam πολεμικὰ aliqua edidit, ad retundenda  
mendacia & calumnias falsorum fratrum, articu-  
lum de iustificatione, & verum ac genuinum in-  
tellectum doctrinæ de lege corruptentium, sicut  
& illorum, qui substantiam peccati originalis  
cum Manichæis veteribus asserbant.

Prodiit & sub finem anni superioris liber  
verè aureus, Theologia Lutheri, continens apho-  
rismos breues & sententiosos, ex Tomis ipsius  
primùm descriptos à Fabricio nostro, & postea  
contractus atq; ad vsum piæ iuuetutis accommo-  
datus, à celeberrimo illo Neandro Ilfeldensi, non  
secus Fabricium atq; Ionathas Dauidem, aut  
Theseus Pyrithoum amante, & illum ad amorem  
Græcæ linguæ, lectionem historiarum & plurimò  
morum Græcorum & Latinorum autorum, mis-  
sitatione variorum codicum (quod sæpissimè mi-  
hi commemorauit) instigante, & rursus ab hoc  
ad tantum amorem sanctorum monumentorum  
Lutheri inflammato, quantum ego in nullo vnò  
quam homine docto, & in prophanis autoribus  
tot annos, & tanta diligentia versato, deprehendi.

EE

Oratio.

Et cygnam Fabricij nostri cantionem, axiomata  
Catechistica, opera Collegæ & fratris nostri col  
lendi, D. M. Antonij Probi successoris eiusdem  
propemodum publicanda, adhuc expectamus.

Cumque Episcopus siue Pastor Ecclesiæ inter  
cætera sui officii munia debeat ἐλέγχειν τοὺς  
ἀντιλέγοντας, mandato Apostoli, in hoc quoque,  
re & nomine, ANDREAM se præstitit hic  
noster, quam diu superstes fuit, & tela plurima,  
eaque rectissime ad scopum collimantia fabri  
cauit, aduersus communes religionis Christianæ  
hostes, Iudæos, Mahometistas, Pontificios, & nostri  
temporis sectarios, quantumuis magnis titulis &  
autoritate formidabiles. In primo Tomo Lutheri  
Germanico, tale distichon de Iudæis compositum  
reliquit:

*Bruchiphagos quisquis fouet, & defendit a  
pellas,*

*Hostes iste fouet maxime Christe tuos.*

In primis verò ἄσπονδος hostis erat pontifi  
ciarum abominationum & idolomaniarum, & tam  
oratione ardenti quam παρρησίᾳ in docendo  
pugnabat contra illas studio indefesso, & memini  
eum, quoties incideret Papæ mentio, recitare hos  
versus suos:

*Qui furias, diras, portenta, βδελύγματα, pestes*

*Dicere vis, Papæ dicere voce potes.*

*Omnes voce vna comprehendere Dæmonis artes*

*Si cupis, in Papæ nomine nomen habent.*

Repetebat & creberrimè Antichristicæ Lutheri  
vocem ex Synodo Smaicaldica, propter calculi do  
lores vehemētissimos discedentis, & ad oppidum se

G g g T

conuera

Oratio.

conuertentis, impleat te Dominus benedictione & odio Papæ. Memorabile quoque & hoc est, quod propter adolentes inferam. Anno 1559. cum Pōtificiæ turpitudinis palliatores & adultores nequissimi edidissent catalogum Hæreticorum, inq̄ eo in primis Lutheranos, & inter hos Fabricium, propter carmen quoddam, omnibus diis deuotissimè, atque die 4. Maij ad Fabricium is allatus esset, præ gaudio exultans in perpetuam rei memoriam conscripsit hos versus & votum:

*En mihi ridiculus desertur nuncius, esse*

*Proscriptos inter me quoque Papa tuos.*

*Sim precor, et maneam tuus implacabilis hostis:*

*Ni sim, nec Christi seruulus esse queo.*

O vtinam hanc παρρησίαν imitarentur plurimi, tunc minus esset collusionum cum hac bestia, & pauciores acciperent stigmata eius abominanda in fronte sua.

Si porro quæris, num doctrinæ sanæ vita eius responderit, cum vtrunque in ministro Ecclesiæ coniungat Apostolus? Vere & sanctè affirmare possum, & testes facio omnes nostros, quod in vita & moribus verè fuerit ἀνέγκλιτος καὶ ἀνεπίλητος, siquidem virtutes in ipso luxerunt præcipuæ: timor Dei vetus in conscientia valde tenera, fides constans, patientia & humilitas admiranda, quas fouebat serua & ardenti inuocatione, & studio meditandi scripturam sanctam, & lectione monumentorum dexterrimi eius interpretis Lutheri. Et quamuis omnia in ipso ad grauitatem composita esse videbantur: tamen mixta illa & temperata erat comitate & humanitate decenti. Cum vxore suauissima in dulci vnebat concordia, liberos tenerrimè, vt pater verè φιλόσοφος, amabat. Deprehendi  
sepius,

*Oratio.*

Sæpius, si post prandium & cœnam à studiis gra-  
uioribus aliquanto abstineret, adeo suauiter cum  
paruulis ludentem, vt ad stuporem vsque mirarer,  
posse in istam grauitatē cadere gestus tam suauēs, &  
iocos tam lepidos. Scribit quidem D. Lutherus, &  
verè, in cap. 3. Genes: Sæpe mihi magnæ voluptati  
& admirationi fuit, quòd video corpus muliebre,  
totum ad id factum, vt foueat infantes. Quàm  
decorè etiam gestant in sinu infantes parvæ puellæ,  
ipsæ matres quàm aptis gestibus ludunt, quomies aut  
placandus est infans vagiens, aut in cunas ponend-  
us? Virum adhibe facturum eadem, & dices Cas-  
melum saltare. Sed Fabricius alioqui vir tam gra-  
uis (sicut nostis) non Agesilaum tantum, in hoc ge-  
nere celebratū à veteribus, sed multas matres easque  
φιλοσοφῶσάσιν vicit. Cum Collegis suis o-  
mnibus & singulis in hoc ministerio cōiunctissimè  
vixit, quod ego proximus Collega, & in interiorem  
eius & quasi domesticam consuetudinem admissus  
verè & sanctè testari possum. In conuersatione ex-  
terna alienissimus erat ab omni fastu, supercilio, &  
ambitione, quibus non leuiter sæpè aguntur & ve-  
xantur semidocti quidam, & cum Fabricio ne qui-  
dem conferendi. Oprandum verò talibus erat, vt  
probè considerarent Prudentij Poëtæ verè pruden-  
tis Versus in Psychomachia :

*Desine grande loqui, frangit Deus omne super-  
bum,*

*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta pre-  
muntur,*

*Disce supercilium deponere, disce cauere*

*Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris*

*Peruulgata viget nostri sententia Christi,*

*Scandere celsa humiles, & ad ima redire*

*feroces,*

*Fabri-*

Oratio.

Fabricium sæpissimè repetere & inculcare me-  
minimus illud Lutheri in explicatione octavi præ-  
cepti Tomo I. Latino: Scriptura sãcta vult in timorè  
& humilitate tractari, & magis studio orationis  
penetrari, quàm acumine ingenii. Ac videtur  
hac in re valuisse votum pientissimæ matris, quæ  
referente D. Selneccero, filios subinde hortata fuit,  
vt mundi honores fugaces vitarent, neque studerēt  
esse magni in mūdo. Intellexit enim prudentissima  
matrona, plurimis etiam inter doctos præsens &  
æternum exitium attrahere superbiam & contem-  
tionem ad summa rerum fastigia, cum Poætæ Ethæ-  
nici etiam testimonio, tollantur in altum, vt lapsu  
graviore ruant. Hoc votum attentè considerantes  
Fabricij, quamuis doctrina magni essent, & maiores  
immò maximi esse potuissent, si leuis ambitio per-  
fusæque gloria furo eos agitasset, maluerunt esse  
parui, & in vita vmbrauli degere, & aliis summa  
fastigia, cum paribus periculis inuidia ac liuore  
coniuncta concedere, præsertim hic noster de se  
scriptum relinquens:

*In Patria latui, Musas Christumque professus,*

*Laudem Masa tulit, Christus at exilium.*

*Coniugio felix placido, mihi vita quieta*

*Cum pietate placet, cætera mundus amet.*

Temperatissimè quoque viuebat in cibo &  
potu, & auaritiã angue peius oderat verè  
ἀνταρκῆς & paruo contentus, quod rursus Verò  
sibus eius restatum facio, quando in renui, & mod-  
esta functione sua, antequam ad nos venisset, se-  
ipsum consolatur:

*Exigui sumptus pro sumptu mille labores*

*Sustineo, merces Christe laboris eris.*

*Quin & illud liquido inde conspicitur, quòd*

*melio*

*Oratio.*

meliores & magis opimas respuit. Cùm enim anno 1566. Mense Octob. vocatus fuisset Quedlinburgam in locum socii defuncti, noluit spe comodi aut lucri locum mutare, aut suum gregem lupis obicere, sed quamdiu potuit in priori vocatione remansit. Sic cùm anno 1572. Illustrissimus Princeps Vdalricus Dux Megapolensis eum vocasset in locum defuncti Superintendentis Ecclesiæ Suerinensis, literas mihi exhibens dicebat: Quia Isebius non puduit mei exulantis, neque me eius pudebit donec vixero, ac non nisi morte aut exilio fugatus discedam. Si ita affecti essent aliqui verbi ministri, non tam facile, quavis occasione oblata, sese improbe & impudenter rogitando & currendo ingererent in nidulos optimos, relictis prioribus Ecclesiis & auditoribus. Sicut veritatis & verarum sententiarum in omni vita amantissimus fuit: ita nihil minus ferre poterat, quam Sophisticen ludentem in rebus seriis strophis verborum, aut palliantem monstrosas, & à scriptura sancta & doctrina Lutheri dissentientes opiniones. Idcirco & cum Dauide perfecto odio pertinaces sectarios, & sua placita expresso verbo Dei, & receptæ doctrinæ præferentes oderat, etiamsi sibi vicissim Diaboli & impij mundi odia parata non ignoraret.

Hactenus igitur vitam & merita Fabricij nostri paucis attigi, restat nunc vt vitæ exitum eadem breuitate commemorem. Scimus & meminimus omnes, qualiter anno 1575. cœperit latenter serpere in hoc oppido pestilentialis lues, & quomodo Deo permittente, & puniente peccata, exeruerit virus suum anno sequenti, & primùm desierit sub finem anni 1577.

Cùm autem bona spes foret, ablatis bis mille & ferè quingentis, iam defuisse eam, inuadere tan-

Gze 1 a

dem cœcit

Oratio.

dem cepit carissimos nostros in ministerio publico Collegas, & quorundam uxores, liberos & propinquos. Primus ex ministris erat die 30. Septemb; meus tum Collega dilectissimus, D. Andreas Salius, homo sanè adhuc iuuenis, sed donis egregijs instructus, & non paruae spei concionator, nisi in flore iuuentutis occubisset. Istū post dies paucos, nimirum 8. die Octob; secutus est, multa pietate, doctrina & virtute præstans Vir, M. Iacobus Miluius, R. Dn. Superintendentis nostri ex sorore nepos, meus in hac Schola quondam condiscipulus, ac postea Collega & amicus intimus, quem dominus Fabricius impensè diligebat, quòd fidelis & apertus rursus contigisset Collega & *παράστατος*, me in stationem illam, in qua adhuc Dei beneficio persisto, legitimè vocato & verè extruso. Post immaturam Collegae mortē, Fabricio soli visitandi aegrotos peste corruptos & sepeliendi mortuos cura incumberebat, sed is animo intrepido administrabat singula, nullum periculum aut laborem defugiens. Edebat tamen non rarò tales voces, quæ vitæ exitū portendisse videri poterant, si quis tum accuratius eas pensirasset, composuerat etiam sibi circa illud tempus hanc precatiunculam:

*O mihi ne instabilis mente excidat horula vitæ,  
Reddam animam mitis qua tibi Christe  
meam.*

*O mihi tunc adsis sacro spiramine verbum  
Firmiter vt teneat spesque fidesque tuum.  
Et de vita secutura ac perenni, hos tum scripsit  
versus dulcissimos:*

*Lumina viderunt quæ nulla, nec audiūt auris,  
Nec cor percepit, qualia multa capit.*

Hab.



*Oratio.*

*Hac Deus electis & tanta parauit amicis,  
Quos summo Christi fecit amore suos.*

Die 27. Octobris cum subscriptione publica ministerij et collegarum Scholæ, approbāda foret Formula consensionis, quam nunc concordiam vocant, quod rectè declaratis & decisis controuersijs, post mortē D. Lutheri exortis, pia & salutaris Concordia Ecclesijs nostris restituta fuit, & quidem subscriptionem illam differendam censerent in diem sequentem, in qua sententia & ego eram propter Collegarum quorundam absentiam, Fabricius serio illam vrgebat. Et quidem primus erat, qui post Reuerend: Dn. Superintendentem subscriberet, ac visus est iam tunc sensisse horrorem, & initia pestilitatis ex varijs indicijs. Nocte sequenti quamuis grauis esset somnus, et iam erupisset ad dexteram aurem tumor quidam, tamen omittere licet rogatus & admonitus, concionem ordinariam die Iouis noluit, quod vltima illa futura erat in Epistola altera ad Thessalonicenses, atque verè proli dolor, vltima eius concio in his terris fuit. Ex commotione namque ista forti totius corporis, & intentione vocis continua exitum quærere, & sic sese diffundere coeperat venenum, vt cum ego hora prima ex cœmiterio rediens ipsum inuiserem, iam in bubonem ingentem intumuerat. Sed ipse animo intrepido & quidem magna patientia dolores acutissimos ferebat, & talem se nobis exhibebat, vt nihil minus quàm discessum tam subitum sperassemus. Die sequenti cum rursus accessissem illum consolandi & inuisendi gratia, magis erat occupatum morbi vehementia corpus, & quidem caput: vt inæqualiter quasi vigilans dormiret, & interrogatus pauca responderet, & statim obdormisceret.

Cgg † 4

Fiebare

*Oratio.*

Flebant diligenter pro eo preces in concionibus publicis & domibus priuatis, & tentabantur summa fide ordinata media, à D. Doctore Medico nostro, cuius supra mentionem fecimus: Sed præter omnem spem atque expectationem nostram vicit naturam, & medicamenta morbi vehementia.

Cùm autem finem vitæ suæ instare animaduertisset, in hæc verba erupit: Commendo vxorem & liberos, & animulam meam Christo Iesu redemptori, & D. M. Portæ studia filij Theodosij. Et quia tum erat vigilia Dominicæ 21. post Trinitatis festum, inter reliqua scripturæ dicta consolabatur & erigebat se voce Christi: Filius tuus viuit, nihil dubitans, se quoque in media morte victurum, & veris gemitibus orabat, vt quod de regulo dicitur: Credidit homo verbo: in se quoque operetur Spiritus Sanctus, fidei saluificæ inceptor & perfector, fidem firmam nitentem morte & vita filij Dei.

Atque sic in ardenti inuocatione & fide in filium Dei, quem annos 17. fideliter docuerat, & constanter confessus fuerat, placidissimè expirauit, die Octobris 26. Atque ingens sui desiderium toti Ecclesiæ nostræ reliquit, viduam cum pupillis quinque mirabiliter Deus conseruauit, in media ista pestilitate, & adhuc Dei beneficio sunt superstitēs, ac speramus ex illis Theodosium filium paternæ pietatis, doctrinæ, virtutis ac constantiæ in tuenda incorrupta veritate, hæredem futurum. Talem enim iam habet Dei beneficio cognitionem linguæ Ebrææ, Græcæ & Latinæ, vt publicè extant erudita eius poemata in linguis istis, & quidem corpus doctrinæ Marthæi Iudicis piæ memoriæ, Ebraicè ab eo conuersum. Vnde & facultas Philosophica in inclyta VVitebergenfi Academia, superio

*Oratio.*

superiori mense Martio, tertium locum inter 30. magisterij gradu solenni ritu ornatos, ei concessit. Faxit Christus vt strenuè pergat, & optimi patris soboles bona & generosa dici & haberi possit.

Funebrem concionem propter absentiam Reuerendissimi Domini Superintendentis nostri, & luctum acerbissimum ex obitu Annæ vxoris meæ ortum, quæ 12. dierum spacio, Fabricium præcesserat, ego habere cogebam, & habita fuit ex verbis 2. Timoth: 4. de absoluto D. Pauli curriculo; Certamen bonum decertavi, cursum consummaui, fidem seruaui, quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo, qui est iustus Iudex. Quæ ad Fabricium, quantum debuit, & fieri in isto luctu meo grauissimo potuit, accommodaui, in satis magna (pro vt illud tempus ferebat) frequentia, vbi singuli ferè suam tristitiam & luctum lacrymis largis, non pauci etiam singultibus miserandis ostendebant. Epitaphij loco fortè sepulcro inscribi commodè poterunt, hi ipsius versus:

*Patria Chemnicium, post hospita terra Fribergum.*

*Post Misena mihi, post Viteberga fuit.  
Hospitium tria lustra dedit Northusa benignum.*

*Islebia exilij clara Sarepta mei.  
Non maiora tuli vitæ discrimina, quàm quæ  
Terna peste ædes inficiente tuli,  
Et cum tabifica languerem febre, meumque  
Impeterent toties aulica monstra caput.*

Atque sic (quod verè luctuosum est & triste admodum) intra paucos annos (Deo puniente

Ggg † s                      ingratus

Oratio.

Ingratitudinem mundi, & eripiente suos calamitatibus & malis futuris ) rebus humanis exempti fuerunt tres fratres Fabricij, Viri Nestoris aut etiam Mathusalemi ætate dignissimi, Georgius Misenæ, Anno 1571. die 13 Julij, Iacobus in Salinis Saxonis, Anno 1572. die 19 Martij, & Andreas anno & die, de quibus paulò antè audiistis, meritò igitur me vulturpate posse existimo querimoniam Poætæ :

*Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris,  
Implentur numeris deteriora suis.*

Vt autem appareat, Dei virtutem in infirmitate perspicere, superstes est Blasius, quem primò omnium moriturum iudicasset ratio nostra, cum ærumnosum eius curriculum tali carmine describeret Andreas :

*Fratrurn vix alius tam duris casibus actus,  
Lapsibus, & morbis, vulnere, peste, dolis,  
Coniugij spinis, tot agonum examine, verbi  
Et fidei vicit Blasius ense suæ.*

Sed neque priores tres amissi, tantum præmissi fuerunt, mortui sunt corpore non anima, nec unquam morietur ipsorum fama & memoria, sed manebit ad omnem posteritatem. Verè enim :

*Majus ab exequiis nomen in ora venit.*

Postremò cum videar mihi audire susurrantes quosdam :

Num ignoras, Andream Fabricium, quem tanto perè commèdasti, à multis & quidè magni nominis viris insimulatum hæreseos, & alia non minus terra ei obiecta ? Etiam illis paucis antequam concludam respondendum duco, Fateor à calumniatoribus eius & hostibus sparsas propositiones quasdam patrociantes Antinomis, & continentes  $\pi\upsilon\sigma\phi\eta\mu\alpha$  plurima, rerum & verborum portenta, & ad ipsum  
etiam

*Oratio.*

etiam Imperatorem Sereniss: Maximilianum II.  
laudatis: memorjæ delatas, vt videret quales nam  
essent in ciuitatibus quibusdam Imperij conciona-  
tores Lutherani, nec leuiter ijs fuerat offensa Imper-  
ratoria Maiestas, & mente motos & ferè phanaticos  
dixerat illos, qui ita sentirent & crederent: quod  
ad nostros perscripsit alter Obadias & Ebedmes-  
lechus priorum pastorum patronus, generosus D.  
Baro Rutenus, Henricus secundus. Sed adeò dextrè  
suam exposuit sententiam de lege diuina, & ita no-  
tauit fictas illas propositiones Fabricius, scripto  
apud nos publicè edito, vt facilè acquieuerit in-  
uictissimus Imperator, & autores ipsos puduerit  
suæ vanitatis & mendaciorum. Sed libet potius,  
quàm meis, verbis ipsius sic habentibus loqui:

*Horribiles volitant suppresso nomine chartæ,*

*Quæ contra legem diro venena vomunt.*

*Esse meas rumor mentitur: at esse Draconis*

*Tartarei, scripto lector amice probo.*

Aliqui etiam, præsertim tranquillarum Eccle-  
siarum in hoc comitatu turbatores, & Collega eius  
vetus, quem mirabilem ipse nominare solebat, de  
Manicheismo suspectum ipsum reddere non erube-  
scunt, quòd sub initium infelicis istius certaminis,  
cùm nondum videret quid vellent autores, fortè  
quædam minus cautè scripsisset & effudisset. Sed &  
illud commentum vanissimum & calumniam Dia-  
bolicam esse inde apparet, quòd in publico extant  
responsiones eius ac refutationes priuatæ, & publi-  
cæ in libris ministerij nostri, cuius ipse nobile  
membrum fuit: Deinde quòd potius subire vo-  
luit exilium (nisi Deus Opt: Max: mediante Il-  
lustrissima principe, fœmina ac Domina, Do-  
mina M A R G A R E T A, nata in prosapia  
Illustris: Ducum Brunsvicensium & Lunæburg  
gensium

Oratio.

gensium, vidua Manffeldensi domina nostra Cle-  
mentissima illud auertisset) quàm portentosas &  
blasphemias opinionibus Manichæorum approbare:  
Tertio quòd & quadriduo antè beatam ex hac  
vita migrationem refutationem delirij istius,  
libro Concordiæ insertam, subscriptione sua ap-  
probavit. Nonnulli obiecerunt ei ingrati-  
tudinem ergo præceptores benè meritos, & contem-  
tum artium liberalium atque linguarum, sed &  
istos sæpe pro concione & lectione, & scriptis pu-  
blicis refutavit viuus, semper primam tabulam  
secundæ, primum præceptum quarto, Deum præ-  
ceptoribus, veritatem amicis præponens, quod &  
hisce versibus restatus fuit:

*Est præceptoris meritò venerabile nomen,  
Sed magis augustum est nomen honorque  
Dei.*

*Multa tibi fateor deberi Leucoris, & sic  
Tu quoque plura vni me fateare Deo.*

Artes & linguas huic vitæ necessarias, adeò non  
fastidiebat, ut plurimum ipsis tribueret, & præclare  
in ijs versatus esset: sed hoc vrgebat, Philosophiam  
non dominam, sed pedissequam esse debere Theolo-  
giæ sacræ, & ægerrimè ferebat, cum plurimis alijs  
& synceris ac cordatis Theologis, post mortem  
Lutheri, Theologiam malè dilutam Philosophia in  
Scholas atque Ecclesias, ministerio Lutheri repur-  
gatas, reuectam fuisse. Si quis verò hoc ipsi &  
alijs vitio vertet, simul accusabit Apostolum Col-  
loss: 2. in hæc verba scribentem: Videte, ne quis  
vos deprædetur per philosophiam & inanem decel-  
ptionem, iuxta constitutionem humanam, iuxta ele-  
menta mundi, & non iuxta Christum.

Et qui in hisce meis responsis non acquiescit,  
is

### Oratio.

is in illa die respondebit Deo & Fabricio, quod præter rem mentitus & calumniatus fuerit. Interim salua manebit apud omnes pios & bonos auctoritas & existimatio tam nostri, quam reliquorum Fabriciorum.

Atque sic audiuitis Viri Reuerendi, & vos adolescentes p̄i, non quantum personæ huius dignitas ac merita requirebant, sed quantum mea tulit mediocritas, de Patria, parentibus, educatione, vitæ genere & rebus gestis siue meritis, ac de felici & placido ex hac calamitosa vita discessu, optimi viri, D. M. Andreae Fabricij, & quod responderi possit ac debeat flagellatoribus eius.

Quod superest, gratias, quantas animus noster concipere potest, maximas agamus Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, Filio eius vnigenito Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, Deo trino & vni, pro concessio nobis ad tempus hoc tam salutari doctore atque organo, & eundem ore mus veris gemitibus, vt multos excitet & extrudat in messem operarios Fabricios, ac nobis omnibus & singulis clementer adfit, vt, qui dona eius in docendo & scribendo, assequi non possumus, saltem fidem, constantiam, zelum & amorem erga sacras literas & doctrinam Lutheri, quisque pro suo modulo imitemur, ac pro nostra mediocritate vel etiam tenuitate faciamus Deo grata & Ecclesiæ salutaria, & Collegæ ac optimi fratris memoriam cum beneuolentia conseruemus, ac perpetuò nobiscum circumferamus. Deinde gratias quoque debita animi subiectione agamus immortales p̄is nutritoribus nostris Illustribus & Generosis comitibus, ac Dominis in Mansfeld, Dominis nostris clementis: & ardentibus votis oremus, vt difficultates & molestias publicas ac priuatas clementer auertat, aut saltem mitiget aut minuat.

Denique

*Oratio.*

Denique gratiam ego habeo vobis reuerenter omnibus & singulis, quod me de vita Fabricij reuulsi ac humili orationis genere perorantem, humaniter & placide audiuitis. Faxit Christus, vt alij his cultiora & meliora afferant,  
A M E N.

**IUDICIUM D. HIERONYMI VVELLERI, S. Theologiae Doctoris eximij, de Viro clarissimo, Dn. GEORGIO FABRICIO, Andreae fratre, descriptum ex libello Michaelis Hempeli, Fribergensis, post mortem eius edito.**

**M**igravit migravit ex hac vita in caelestem Patriam, Vir optimus & doctissimus D. GEORGIUS FABRICIVS, Rector illustris Scholae in oppido Misena, de qua praclare meritus est. Ah quam breue curriculum est vita humana, etiam si Nestoreos annos attigerit? Omnino triste desiderium sui nobis reliquit. Sed sic visum est Deo, qui Fabricium tam clementer ex hac ærumnosa vita euocavit, quo minus forte impendentium calamitatum spectator esset, iuxta illud Esa: 56. Iusti colliguntur ante faciem mali. Sic collectus est D. Lutherus ante bellum Germanicum. Sic D. Philippus Melanchthon. Sic D. Iustus Ionas. Sic D. Nicolaus Amstdorfius ante Gotticum bellum. Sic denique alij multi summi viri, & sanctissimi homines collecti sunt, impendentibus magnis malis, nec dubium est, signa esse irae diuinæ, quando sancti homines prematura morte ex hac vita discedunt. Cum enim sint ipsi



Ipsi columnæ, quæ precibus suis mundum sustentant, certissimum signum est futuræ calamitatis & pœnæ, postquam e medio sublati fuerint.

Constat autem Fabricium vnum ex illorum numero fuisse, qui serio pro Ecclesia preces fuderunt, atque plurimos Christo lucrifacere conantur, quam quidem ad rem multiplici eruditione, & præclaris donis à Deo ornatus fuit.

Excellens ipsius erat ingenium, insignis pietas, singularis modestia, σοφροσύνη, iudicij rectitudo, sobrietas, diligentia eximia, flagrantissimum studiū euoluendi eruditissima scripta summorum virorū, Oratorum, Poëtarum, Historicorum, quinetiam Theologorum, Lutheri etiā studiosè legit, eaque magnificè. Itaque omnes qui illum imitari studebant, eiusdemque vestigiis insistebant, amanter complectebatur, & cum illis amicitiam contraxit.

Nec tantum in rebus Grammaticis & Philosophicis, sed etiam in rebus Theologicis præclarum habebat iudicium: In dandis consiliis, & iudicando minime erat præceps, norat animum in potestate habere, alienus ab omni hypocrisis, petulantia, & monstrosis opinionibus, & dogmatibus paradoxis, abhorrebat à fanaticis furoribus, deplorabat Theologorum distractionem, egregiam experientiam peregrinationibus sibi comparauerat, diligentissimus antiquitatis scrutator erat: magna etiam in ipso fuit sedulitas vocationis, semperque studium habuit, vt intra metas vocationis sese contineret, noluit sese admiscere Theologorum certaminibus, vt plerique Ludirectores facere solent.

Sicut mores ipsius modesti & placidi fuerunt: ita & dictio eius & in carmine, & soluta oratione placida, suavis sine affectatione fuit. Excelluit igitur in Attico dicendi genere, & lectorem tenuit erudita breuitate, quo quidem genere dictionis ego mirificè delector.

Omnes

Omnes ferè nostræ ætatis scriptores in eo peccant, quòd nimium sunt verbosi, nec sciunt quid sit satis, nimium indulgent genio & stylo. Student enim luxurie orationis lectorè tenere: Sed eruditus lector abhorret ab ista immodica verborum copia, imperitus verò lector illa verborum copia non eruditur, sed perturbatur & obruitur. Scio quosdam meã in scribendo breuitatem reprehendere, sed me nunquam breuitatis meæ pœnituit, nec pœnitebit vnquam.

Illud etiam laude dignum fuit in Fabricio nostro, quòd felicissimam suam carminis venam potissimum ad illustrandam Dei gloriam contulerit. Ipse enim historiam de natiuitate, passione, & resurrectione Christi, eruditissimo carmine complexus est, qua quidem re præclare de omni posteritate meritus est.

Fuit autem mihi arctissima cum ipso amicitia, nec illam tempora vnquam mutarunt. Ille me vt patrem, ego vicissim illum, vt filium semper dilexi. Huius rei testes sunt vtriusque literæ, quas alter ad alterum dedit. Ad neminem amicorum meorum prolixiores, vberiores & suauiores dedi literas. Ipse enim mea sæpè solidè solus gaudius est gaudia: Neuter alteri nec congratulando in rebus secundis, nec condolendo, & consolando in aduersis vnquam defuit.

Merito igitur mortem optimi  
amici grauitè  
fero.



5. In tibi mandillam Ihu litera:  
rum, & scriptum D. D. M.  
fac, ex contra bidionis, hor:  
vi temporis spacio memo:  
ria infigas ploray: ita ne  
puniabit te tantill. pra iij:  
qd iusta ac iudicium, in acci:  
siam, cum vultim. B. V.

§

Kost parva Biblia,  
6. fr.

Theologia M:  
14. fr.

Bund, 10. fr.

Summa 30. fr.

M. E.





ATIO

4.

TA ET  
REVEREN

TATE, ERVDI  
e præstantis, D.  
FABRICII, in  
COLAI, ISLE  
m Pastoris vi  
ni & optis  
meriti:

chola Islebiensi

Porta, Pasto  
Petrum &  
lum.

BERGAE  
monis Gronenbergii.  
XXXIII.

